C

EX GALENO.

Caro Fabæ paulum quid abſtergentis facultatis cõtinet, ſicut cortex adſtringentis: idcirco medicorum nonnulli totam Fabam cum polenta decoctam dyſentericis, cœliacis & uomentibus exhibuerunt. Porrò ut edulium flatulenta eſt, & coctu difficilis, ut ſi quid aliud. Excreationibus quidem ex thorace & pulmone idonea. Vt medicamentum ucrò foris impoſita ſine moleſtia exiccat. In podagricis ea ſæpenumero uſi ſumus ex aqua decocta, deinceps adipem ſuillum admiſcentes. Ad neruorum tum contuſiones, tum uulnerationes, farinam eius cum oxymelite impoſuimus. Ad eos qui ex ictu iam phlegmone occupabantur, cum polenta. Sed & teſtium & mammarum bonum eſt cataplaſma. Nam hæ partes cum phlegmone tenentur, moderatè refrigerari amant, maximè cum mammæ ex lacte in ipſis concreto phlegmonen patiantur. Quin lac quoque ab eo cataplaſmate extinguitur, ſicut puerorum pubes farina fabacea illita plurimo tempore glabra permanet. Manifeſtè fabacea farina cutis ſordes detergere conſpicitur, quod intelligentes mangones, ac mulierculæ, in balneis quotidie hac utuntur. Illinunt præterea & hac faciem quemadmodũ ptiſana: nam quæ in ſumma cute eminent lentes exterit, & maculas uelut ex ſole contractas.

EX PLINIO.

Faba hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoq; facere. Solida fricta, feruensq; in acri aceto coniecta, torminibus medetur. In cibo freſſa, & cum allio cocta, contra deploratas tuſſes ſuppurationesq; pectorum, quotidiano cibo ſumitur: & commanducata ieiuno ore, etiam ad furunculos maturandos diſcutiendósue imponitur, & in uino decocta ad teſtium tumores & genitalium. Lomento quoq; ex aceto decocto, tumores maturat atq; aperit. Item liuoribus, combuſtis medetur. Voci eam prodeſſe, autor eſt M. Varro. Fabalium etiam ſiliquarum cinis, ad coxendi-
D ces, & ad neruorũ ueteres dolores, cum adipis ſuilli uetuſtate prodeſt. Et per ſe cortices decocti ad tertias ſiſtunt aluum.

DE CONSOLIDA MEDIA. CAP. CXLVI.

NOMINA.

Conſolida media.

INTER multas alias herbas quibus uulnera glutinandi facultas ineſt, & hæc cuius picturam damus cõnumeratur. Hinc eſt quod uulgus herbariorum illam Conſolidam mediam nominet. Qua etiam appellatione nos uti uoluimus, quod nobis quo nomine ueteribus Græcis aut Latinis appellata ſit nondum conſtaret. Rectius tamen Solidago diceretur. Germanis Gulde guntzel nuncupatur.

FORMA.

Caulem habet quadrangulum, lanuginoſum, ex quo per interualla folia bina ex ſingulis geniculis in extremitatib. laciniata, Menthæ ſimilia emicant. A medio caulis ad faſtigium uſq; ex ſingulis foliorum alis, flores ſex aut ſeptem in purpureo cœrulei exeunt. Radix illi ſubeſt lignoſa, quæ multas à ſe exiguas radices capillamentorum inſtar per terram latè ſerpentes propagat.

LOCVS.

Paſsim in pratis naſcitur.

TEMPVS.

Floret copioſe Maio menſe.

TEMPERAMENTVM.

Guſtu adſtringit & amara eſt, ut calidam & ſiccam eſſe nemo dubitare poſsit.

VIRES.

Vulnera glutinat, Sanguinis grumos ex caſu, uel cõtuſionib. coactos in corpore diſſicit